



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 2. De Essentia Metaphysica, & Physica Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

hoc autem absolute loquendo non ita evenit, quando utraque simul concurret; quia cum quaelibet ex his dispositionibus sit sufficiens, ut utrumque Sacramentum suam causalitatem exerceat, utraque simul potius sufficiens est, & magis disponens, & ex utraque plus, quam ex una sola subjectum manet dispositum. Ex dictis

39. Fit 1. Dispositionem requisitam, ut Sacramentum reviviscat, solum requiri, ut subjectum sit absque obice; & sic Sacramenta possunt in illo causalitatem suam exercere, & gratiam causare, licet ex alio titulo majorem gratiam causent in subjecto magis disposito: ablatio autem obicis requiritur, sicut clavis ad aperendam januam, quin requirantur duae claves, quando duo debent ingredi: sicut enim, ut Petrus, & Paulus ingrediantur per januam, sufficit una clavis, quae utrique januam aperiat; ita, ut duo Sacramenta causent gratiam in

eodem subjecto, sufficit una dispositio, quae utriusque Sacramenti obicem tollat. Fit 2. Peccata comitantia Baptismum dici peccata commissa post Baptismum negative: licet non potest, illa enim ex eo, quod committantur ab homine in eo instanti baptizato, non sunt peccata hominis infidelis, neque commissa post Baptismum; sed hominis Christiani, & fidelis, ac proinde negative commissa post Baptismum, quo in sensu vocantur à Trid. sess. 14. cap. 1. absolute peccata commissa ante Baptismum, quia absolute datur iste modus ex usu locutionis humanae, & in proprietate verborum; sic dicimus, neminem posse consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, nisi post susceptum Ordinem Sacerdotalem: omne peccatum personale committi post usum rationis, sola peccata post rationis usum commissa esse materiam contritionis, & contritionis, & sic de millenis aliis, in quibus ly *post* sumitur negative.

DISPUTATIO II.

DE ESSENTIA METAPHYSICA, ET PHYSICA BAPTISMI.

40. **P**lures Baptismi definitiones hinc inde circumferuntur, quae omnes ex doctrina definitionis nostrae facile rejicientur. Moneo autem, Divum Thomam 3. part. quaest. 66. artic. 1. ut exponit ibi Eximius Doctor, non definire juxta rigorem Scholae, sed describere naturam Baptismi, dum ex doctrina Magistri in 4. dist. 3. dixit: *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma praescripta verborum*: quantumvis Scotus, Serra, aliique Thomistae istam definitionem tanquam rigorosam accipiant. Caeterum ex doctrina Eximii Doctoris, quam sibi non obijciunt, facile impugnantur. Primo, quia ablutio est genus valde remotum; Sacramentum autem est genus propinquius. Secundo, quia explicare Baptismum per abluitionem potius est explicare verbum Graecum expressione latina, quam definire: etenim id ipsum, quod significat Graecum verbum *baptizo*, significat verbum Latinum *abluo*, & quod significat Graecum verbum *Baptismus*, significat nomen Latinum *ablutio*. Tertio, quia Baptismus est Sacramentum, ac proinde concretum ex rebus, & verbis, nimirum ex abluitione, & forma verbali, sed non est verum dicere, ablutio est concretum, sicut non esset verum dicere forma verbalis est hoc concretum; imò, ut statim dicam, hoc est explicare in sensu materiali, & non in sensu Theologico Sacramentum; ergo &c. Caeterum ante nostram definitionem notare oportet, Baptismum in sensu materiali sumptum constare abluitione aquae, & sua forma verbali in prima compositione; in secunda verò superaddere tanquam formam hujus concreti Christi institutionem, ut constat

ex dictis à n. 42. de Sacr. & constabit à numero, quae quidem vocatur natura Baptismi physica, & materialiter sumpta; Theologicè vero limitatur pro significatione practica effectus interioris, ut bene notavit Elparza lib. 11. quaest. 37. Quo in sensu quaerimus metaphysicum illius constitutum. His praemissis sit

SECTIO I.

De definitione, materia, & forma Baptismi.

Asfero 1. Baptismus Theologicè sumptus pro significatione practica effectus interioris ita metaphysicè definitur: *Sacramentum characteristicum Fidei perfectissime remissivum per se omnium peccatorum praecedentium*. Probatur 1. & explicatur simul veritas definitionis illa est recta definitio, quae per aptum genus, & differentiam explicat essentiam definiti, & per ipsam definitionem explicatur per aptum genus, & differentiam essentia Baptismi; ergo &c. Probatur min. Sacramentum characteristicum est genus proximum conveniens Confirmationi, & Ordini, quae characteristicum Sacramenta sunt, utpote characterem impermutabilem. Per reliquas particulas distinguitur ab aliis, & ab aliis Sacramentis, cum per se non sit remissiva omnium peccatorum praecedentium; Baptismus enim est janua ad alia Sacramenta, sine quo non datur ad alia subjectum expeditum, ideòque praere debet, ut caetera recipiantur: per Baptismum remittuntur etiam peccata se & peccatum originale, & omnia actualia

ante Baptismum commissã, eaque de causa dicitur Sacramentum Fidei à Theologis cum Divo Thoma; sicut enim absque Fide impossibile est placere DEO ex num. 110. de Sacramentis, ita absque Baptismo in re, vel in voto. Additur *ly perfectissimè* ut adæquata Baptismi essentia innotescat; licet enim Sacramentum Pœnitentiæ sit etiam per se remissivum peccatorum, non remittit peccata perfectissimè, cum plenè non remittat quoad pœnam, sed quoad culpam; bene verò Baptismus & quoad pœnam, & quoad culpam remittit peccata, eaque de causa ei, qui baptizatur, nequit imponi pœnitentiã, urpote ad pœnã remissionem non conducentis. Vide num. 44.

42. Probat 2. & roboratur simul conclusio, per hanc definitionem explicatur essentia Baptismi prout ex Scriptura Conciliis PP. & Theologis nobis innotescit; ergo est recta. Probat 3. antec. Baptismus est unum ex tribus Sacramentis imprimèntibus characterem, ut constat ex Script. Flor. & Trid. citatis num. 219. de Sacramentis; deinde perfectissimè remittit omnia peccata præcedentia, nimirum, & quoad culpam, & quoad pœnam, ut constat ex Trid. sess. 14. cap. 2. dicens: *Alius est præterea Baptismi, & alius pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficiuntur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes.* Quo fit, ut anima denuò regeneretur, sive renascatur ex illo Christi Joan. 3. nisi quis renatus fuerit &c. quæ quidem regeneratio fit in conceptu à nobis explicato; insuper Baptismus cauere hos effectus per præcipuum Spiritus S. donum, sive per gratiam, satis constat ex nostra definitione, quando dicitur esse Sacramentum, cum sit de ratione Sacramenti, esse collativum talis gratiæ ex num. 14. de Sacram. hæc autem sunt, quæ insinuat D. Petrus Actor. 2. dicens: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus S. sed hæc omnia comprehendit nostra definitio; ergo &c.*

43. Neque opus est explicare, concipi aquæ abluitione, cum hoc se habeat purè materialiter: si enim Christus instituerit ad hos effectus præstandos abluitionem olei, vel alterius liquoris, solum materialiter distingueretur unum ab alio, secus in ratione Sacramenti ex dictis num. 68. de Sacram. Nota tandem concupiscentiam, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinã, non esse peccatum, ut definit Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali. Sed effectum peccati; ac proinde non est pœna, de qua loquimur, hæc enim apud Concilia, & Theologos significat debitum, dum remissum non sit, à nobis persolvendum ratione culpæ, antequam post gloriosam Christi Resurrectionem ad DEI gloriam accedamus, ratione autem illius effectus, sive concupiscentiæ non est quidquam persolvendum, ideoque si cætera

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 11.

non obstant, ratione talis concupiscentiæ non adest impedimentum, ne, qui in gratia moritur, ad visionem DEI statim perveniat.

44. Quo in sensu Concil. Flor. in decreto unionis ita loquitur de Baptismo: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cælorum, & DEI visionem perveniunt.* Ex quo percipies, quo in sensu verum sit, quod plures notant Doctores, nimirum nomine harum pœnarum non intelligi illas, quas homo ex humana lege per peccatum incurrit, vel quæ ex principiis nature oriuntur, quales sunt mors, fames, morbus, & similes pœnalitates, sed illas quæ à DEO per peccata extrinsecis intelliguntur, quales sunt pœnæ inferni, & purgatorii.

45. Assero 2. Materiã remota Baptismi est aqua naturalis, proxima verò materia est abluio talis aquæ. Ita omnes Catholici. Probat 1. pars ex Script. Joan. 3. ubi Christus Dominus Nicodemo dicit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* Actor. 8. v. 36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari;* & Verfic. 38. *descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunucus, & baptizavit eum.* & cap. 10. tunc respondit Petrus: *nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi:* ex quibus constat aquam non debere intelligi metaphoricè, sed verè, & propriè, cum ex his testimoniis manifestè appareat naturalem sive elementarem fuisse aquam, de qua ibi est sermo.

46. Licet enim aliquando in Script. aqua sumatur metaphoricè ut Ezech. 36. & Joan. 4. sicut & ignis Matth. 3. solum ita sumitur, quando urgens ratio id suadet auctoritate Sanctorum Patrum, aut Ecclesiæ Suffragio confirmata; sed in præsentia, aqua pro materia remota Baptismi nequit intelligi metaphoricè, ut constat ex contextu, & sensu Ecclesiæ; ac Sanctissimorum Patrum, imò ex Florentino in decreto Eugenii dicente: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera, & naturalis; nec referè frigida sit, an calida, & ex Trid. sess. 7. can. 2. de Bapt. ita contra Calvinum definiente: Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit; ergo &c.*

47. Probat 2. Pars conclusionis: Sacramentum Baptismi, sicut & reliqua omnia, præter Evcharistiam, ut dicunt Theologi, est Sacramentum consistens in usu; quatenus, postquam perfectum est, non permanet, sicut Evcharistia; atqui materia proxima Sacramenti consistens in usu non est permanens, sed est usus illius materiæ remotæ, qui quidam usus in nostro casu est abluio; ergo &c. Confirma

non conficitur formaliter Sacramentum Baptismi, nisi quando Minister baptizat, ac proinde quando abluir; baptizare enim idem est, ac abluere; sed materia proxima Sacramenti est ea, qua formaliter conficitur Sacramentum; ergo materia proxima Sacramenti Baptismi consistit in ablutione. Confirmatur 2. Ablutio, & lavacrum idem omnino sunt, ut per se patet; sed lavacrum est materia proxima Baptismi; ergo ablutio est materia proxima Baptismi. Maj. & conseq. tenent, min. patet ex Paulo ad Ephes. 5. dicente: *mundans eam lavacro aqua in verbo vite*; ergo &c.

48. Hæc ut dixi, certa sunt apud omnes Theologos, qui utpote agentes de re physica, quæ omnibus nota est, non ulterius inquirunt metaphysicum ablutionis constitutum, contenti doctrina sensibus perceptibili, cum omnes sciant requiri naturaliter ad ablutionem physicam, & successivum aquæ motum in corpore, quod abluir, sub quo conceptu præcedit actio ex potestate Ministri baptizantis expressa per illa verba: ego te baptizo; & in Ecclesia Græca per illa: baptizetur servus Christi; cum apud Græcos ly baptizetur significetur, baptizetur à me, vel id saltem explicetur ipso exercitio; tum etiam ex potestate aquæ requiritur naturaliter modus præsentis successivæ extrinsecus baptizato, quo aqua abluendo contingit baptizatum, sicque sortitur suum effectum ex illo Aug. citati Tract. 80. in Joan. quæ est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Hæc enim physice requiruntur, sive modi illi sint puri termini à Christi institutione sibi præfixi, sive de constitutivo proxime ablutionis, sive tantum sint relationes.

49. Quod autem ipse non percipio, est, quod apud plures auctores communiter lego, qui ita explicant ablutionem ut materiam proximam, ut excludant aquam à constitutivo talis materiæ proximæ; potius ego excluderem modos actionis, & passionis, & dicerem esse puros terminos, in quibus positis aqua abluens manet instituta, & est materia proxima Sacramenti, ex dictis à num. 97. de Sacram. circa quod si per tempus liceret, integram disputationem instituerem; nec renuam breviter innuere fundamenta, quibus moveor, quæ aliquibus fortasse aliquando inservient. Primum est, quia materia proxima est, quæ denominatur instituta: atqui modus non denominatur institutus, sed aqua posito tali modo, ut expressè habet Eximius Doctor: disp. 20. sect. 2. dicens: *quia ipsa aqua est, quæ sub illo modo applicata, est signum gratiæ, & instrumentum efficax illius*; ergo &c.

50. Secundum, licet requiratur modus, ut aqua abluat, virtus abluendi posito tali modo, non stat in modo, sed in aqua; sicut licet requiratur approximatio, ut ignis comburat, virtus comburendi, posita approximatione, non stat in ista, sed in igne. Pariter in gratia unita subiecto virtus expellendi peccatum non stat

in unione, sed in entitate gratiæ; sic etiam virtus dealbandi stat in albedine posita unione, idemque suo modo in omnibus physicis formis: atqui institutio Christi neque ex Scriptura, neque ex Conc. neque ex SS. PP. cadit supra modum, sed supra aquam, sive formam abluentem, ut constat ex test. adductis à num. 45. ergo &c. 3. Dummodo aqua solum sit instituta, quando detur talis modus, non est instituta ut permanens; ergo quod materia Baptismi, utpote consistentis in usu, non sit instituta ut permanens, nulla est ratio, ut excludatur aqua à constitutivo materiæ proximæ; eaque de causa dixi num. 35. & 47. de Sac. Species Sacramentales in Eucharestia non utrunque, sed ut materiam permanentem institutas esse; unde satis constat, quomodo aqua secundum se sit materia remota, & ablutio sit materia proxima, ita ut non debeat excludi aqua, quamvis includatur modus in sententia ferè omnium DD. que in his ulterius possumus immorari. Habemus autem, quod apud omnes est certum, & quomodo securè loquamur, dicendo aquam secundum se esse materiam remotam, & ipsam ablutioem esse materiam proximam, quæ sola notitia tandem aliquando utilis est ad praxin.

Assero 3. Forma sufficiens, & necessaria, huius Sacramenti est ista, vel quæ perfectè æquivaler isti: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Probatum forma huius Sacramenti nulla est alia, nisi quæ instituta est à Christo; sed quæ instituta est à Christo, est hæc forma à nobis assignata, vel quæ illi perfectè æquivaler, ex dictis à num. 60. de Sacram. ergo &c. Probatum min. forma quæ Græci utuntur, ex eo est valida, quia perfectè æquivaler isti, & ista est valida, quia eundem sensum à Christo intentum perfectè continet; ergo &c. Probatum antec. ex hoc. citato num. 44. dicente: *Forma autem est. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. non tamen negamus quin & per ista verba: baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. vel baptizetur manibus meis talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. verè perficiatur Baptisma, quoniam cum principalis causa, ex quo Baptisma virtutem habet, sit S. Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministerium cum S. Trinitati invocatione perficitur Sacramentum*; ergo &c. Unde ea verba euntes baptizate, non fuerunt probata à Christo in sensu copulativo, sed distributivo, ut ex doctrina Ecclesiæ, & Concil. definitionibus constat.

Fit 1. Ex prima assertione: Baptisma non potest impressivum characteris esse irreiterabilem ex num. 219. de Sacram. quando autem est dubium prudens de valore, debet reiterari sub conditione. Si autem extra calum in calum sitis Baptisma reiteratur, baptizans, & baptizatus

prizatus peccant mortaliter, funtque irregulares, & in Jure Civili puniuntur poena mortis. Aliqui autem auctores judicant, non incursum has, qui sub conditione rebaptizarent, licet sine justa causa; quia tales poenas existimant intelligi de Baptismo absolute lato absque prudenti dubio de valore. Si autem pro utraque parte sit dubium, docent plures cum Eximio Doctore standum esse pro favore baptizandi. Imò plures cum Quintanavenas Tom. 1. aliis docent, rebaptizandos omnes infantes expositos sive cum scedula, sive absque illa reperiantur, illos etiam, qui baptizati sunt ab ostericibus, cum sæpè inventum fuerit esse deceptos tunc baptizatos ab hæreticis, & sic de aliis similibus.

53. Hæc autem doctrina absque limitatione non placet, ideoque Card. de Lugo rectè eam limitat ad casus, in quibus limitari prudenter possit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis, sive aliquo ad formam requisito, ut constat ex Innocentio III. cap. de quibus dubium statim citando, quando aliquis ita dubitat, tenetur Baptismum petere, & Parochus conferre, interea abstinere debet ab usu aliorum Sacramentorum. Baptismus autem conditionatè sub hac forma conferitur, quæ cap. de quibus dubium de Baptismo ita præscribitur: de quibus dubium est, an baptizati fuerint; baptizantur his verbis præmissis: si baptizatus, nou te baptizo, sed si baptizatus non es, ego te baptizo, &c. & licet probabile sit sufficere si conditio mentaliter apponatur, tutius tamen est, quando ex omissione prolationis scandalum non timeatur, exprimere verba saltem ista: si non es baptizatus &c. in hoc autem Baptismo neque necessarius est patrinus, neque adhibendas.

54. Fit 2. Baptismus utpote Sacramentum fidei caracteristicum, adultis necessarium esse ad salutem in re, vel in voto ex num. 5. ut constat ex verbis Christi citatis num. 45. ideoque Jure Divino tenentur adulti Baptismum suscipere quamprimum id commodè fieri potest: non enim licet diu illos manere absque vera religione, nec fidem ejusque auctorem contemnere, aut pro libito vivere Sacramentorum omnium auxilio destitutos, in eorum namque distinguitur inter alia Baptismus ab aliis Sacramentis, & etiam ab Eucharistia; quia licet hæc sit mysterium fidei, non tamen est Sacramentum fidei caracteristicum, neque caracterem imprimit, sed illum fidei caracterem supponit, neque potest aliquis licetè sumere Eucharistiã, sicut nec alia Sacramenta, quin hoc fidei caractere per Baptismum impresso sit insignitus; unde non valet sumi Sacramentum à peccatore, qui non tenetur statim confiteri, cum istæ rationes pro eo casu non militent.

55. Qua de causa cum infantes non possint per proprios actus habere Baptismum in voto, neque consequi vitam æternam secluso Baptis-

mo Sanguinis ex num. 3. nisi Baptismum in re suscipiant, ex vi ejusdem præcepti Divini tenentur parentes dare operam, ut infantes baptizentur, quando instat periculum mortis. Imò consuetudo Ecclesiæ, quæ habet vim legis, obtinuit jam, ut infantes prima data occasione baptizentur. Quamobrem parentes Christiani, qui sine gravi causa eorum Baptismum diu differunt, peccant mortaliter. Opinio autem Cajetani docentis, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ad eorum salutem sufficere votum Baptismi à parentibus vel aliis elicium, temeraria est, & errori proxima, ut fatentur ipsi Thomistæ, & jussu Pij V. expuncta est Commentar. ejus in D. Thomam.

Fit 3. Ex secunda assert: quæcumque a- 56. quam naturalem esse materiam certò sufficientem; quod Carechismus Tridentini tit. de Bapt. explicat per hæc verba: *Materiam igitur sive elementum hujus Sacramenti esse omnino naturalis aquæ genus, sive ea maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei aut fontis, quæ sine ulla adjunctione aqua dici solet.* Unde aqua consecrata solum est de præcepto, vel gravi, vel levi juxta diversas auctorum sententias, non autem est necessaria ad valorem. Exigua autem admixtio, quæ speciem aquæ naturalis non immutat, est materia sufficiens, sic in Baptismo solemnè parum chrismatis aquæ admiscetur.

Si autem dubitetur, an aqua sit naturalis, 57. erit materia dubia, quæ solum in alterius defectu deservire potest pro casu necessitatis, ita tamen, ut si postea fieri possit, & reperiarur aqua certò sufficiens, debeat Baptismus sub conditione reiterari: quando autem certò constat, non esse aquam naturalem, certè etiam est insufficientis, ut constat ex testimoniis adductis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum à num. 45. in quibus impugnatur Calvinus dicens: requiri aquam metaphoricè, Selentiani, & Jacobitæ, qui ex illis verbis Joannis Baptistæ de Christo: *ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne,* pessimè inferebant, materiam Baptismi non esse aquam, sed ignem; & tandem error Flagellantium, qui dicebant, Baptismum aquæ jam cessasse, & in Baptismum Sanguinis esse mutatum: hi enim errores radicitus evelluntur ex testimoniis adductis.

Fit 4. requiri ad valorem Baptismi, quid- 58. quid requiritur ad abluionem secundum significationem formæ Baptismi; quapropter requiritur, quòd fiat à Ministro ablutio; quæ baptizatus abluitur. Unde, si quis se submitteret aquæ decidenti è stillicidio, & alter formam proferret, non esset baptizatus; neque adhuc pro casu necessitatis, in quo reperirentur mancus, & mutus, videtur approbanda sententia illorum, qui dicunt, posse mutum abluere, & mancum verba proferre. Quidquid tamen de hoc sit, fatentur ipsi Authores, illum, si adesset occasio, rebaptizandum sub conditione, si-

cur, & si baptizatus fuisset aliquibus guttis aquæ, de quibus dubitatur, an sufficientes essent ad ablutionem, qua homo ablutus diceretur. Exinde non est sufficiens ablutio in quavis parte corporis, sed requiritur in parte saltem adeò principali, ut ratione illius per physicum aquæ contactum totus homo denominetur ablutus, eaque de causa ex praxi Ecclesiæ adest præceptum abluendi caput, ratione cuius verè dicitur totus homo ablutus, cum sit principalior pars, in qua vigent omnes sensus; cæterum cum sit speculativè probabile, sufficere quamcunque corporis partem ad valorem, licebit sub conditione in casu extremæ necessitatis cum onere re-baptizandi, si adsit occasio.

59. Propter eandem rationem non sunt materia sufficiens gelu, grando, & similia, quia secundum significatum, quod apud homines habet ablutio, non possunt corpus abluere, etsi illud possint madefacere: ad ablutionem enim requiritur successivus motus liquidi humoris per corpus, ideòque non potest quis baptizari immotus manens in aqua immota: velut cum ablutio fieri possit per successivam immersionem corporis in aquam, vel per successivam infusionem aquæ in corpus, vel per asperionem aquæ, quæ per corpus fluat; quicumque ex his modis sufficiens est ad Baptisimum; unusquisque autem servare debet praxin suæ Ecclesiæ, vel sub gravi, vel sub levi secundum diversas Doctorum sententias, ubi trina vel immersio, vel infusio usitata est.

60. Cavendum tamen est, ne ter, sed semel tantum pronuncietur forma, quæ rectius profertur cum intentione baptizandi, antequam finiatur tertia ablutio, cum Sacramentum certò constituitur ex integra forma, & quavis prævia ablutione: licet enim ex consuetudine alicujus Ecclesiæ trina immersio sit de præcepto, non est de essentia, ut Gregorius I. consultus à Leandro Episcopo Hispano, definivit, & habetur in Concilio Tolerano 4. can. 5. Unde immersio non est de essentia, ac proinde si quis projiceret infantem in flumen, eumque abluendo proferret Baptismi formam, & si puer non emergeret, sed maneret ibi suffocatus, conficeret Baptisimum validè, quamvis illicitè, cum non sint facienda mala, ut sequantur bona.

61. Fir 5. ex tertia assertione, neminem posse uti formâ Baptismi, quæ certa non sit ex dictis à num. 313. de Sacramentis; illæ autem certò sunt invalidæ, quæ Trinitatem non exprimunt, ut constat ex ibi dictis à num. 75. illæ autem sunt dubiæ, de quibus dubitatur, an exprimant Trinitatem, ideòque est dubia forma prolata: *in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque*; quia, ut defendunt plures Doctores, illæ voces neque personas, neque personalitates exprimunt, sed solum significant quasi fundamentum personalitatum. Propter eandem rationem dici debet *in nomine*, & non *in nominibus*: etenim *ly in nomine* idem est,

ac in natura, sive essentia divina. Unde si diceretur *in nominibus*, significaretur natura divina multiplex, ac proinde ea expressio incepto omnino esset ad formam Baptismi. Eodem modo de aliis similibus discurrendum est.

Minister autem ordinarius Baptismi, & ex officio est Sacerdos habens jurisdictionem, aut commissionem, vel ex ejus commissione Diaconus, qui reliquis præcedit; sic etiam Clericus Laicum, vir mulierem, fidelis infidelem, cæteris paribus. Sacerdos autem, cui ex officio competit, semper præferitur, ideòque peccant parentes, qui sine licentia sui Prælati prolem baptizandam aliè deferunt, cum violentia proprii Parochi. Invetio in aliis, si sit gravis, est culpa mortalis; venialis verò, si levis sit, quod ex variis circumstantiis pensandum est, quibus pender, quòd non solum valde, sed etiam licitè Baptisimus ministratur: quoad valorem enim quicumque homo ratione utens est Minister, cujusque Fidei, infidelitatis, hæreticis, aut sexus. Subiectum autem Baptismi capax est solus homo vivus ab Adamo descendens, nondum baptizatus; neque Minister potest licitè baptizare aliquem contra jus proximi, ut g. Ethnicorum infantes extra mortis periculum invitis parentibus, sub quorum cura vivunt; etenim cum infantes ita baptizati non possent relinquere sub custodia ethnicorum parentum, ne pervertantur, extrahendi essent ab illis, quod esset contra jus parentum, in quos Ecclesia non habet jurisdictionem; secus esset, quando parentes essent mancipia Ministris; nam tunc illorum jus perirerit ad Ministrum; vel quando alteruter parentum esset baptizatus ex dictis à num. 6. quia tunc Ecclesia jam habet jus, quo nihil possit in favorem baptizandi. Ex quo principio resolvendi sunt similes casus.

Circa cæremonias, quæ in Baptismo adhibentur, non quidem in privato, nisi ad summum, quando filius Regis, aut magni Principis baptizatur, ex Clemente unico, in quo Baptismo non requiritur Patrinus, neque contrahitur ex pluribus Doctoribus cognationem spirituales, etsi adhibeatur; sed in Baptismo solemniter consulendum est cujusque Ecclesiæ propriam Ritualet, & observandum; ante Tridentinum plures poterant esse Patrini, ita, ut inter illas, & baptizatum contraheretur cognatio spiritualis, ut constat ex cap. *quamvis de cognatione spirituali in 6.* at post Tridentinum unus solum designandus est, vel ad summum unus, & unus, ut constat ex sess. 24. cap. 2. ubi ita statuitur, non contrahere suscipientes inter se cognationem spirituales, quæ est impedimentum matrimonium, sed eam contrahere cum baptizato, ejusque Patre, & Matre; licet contrahatur inter baptizantem, & baptizatum, baptizantem Patrem, & Matrem; unde Patrens non potest esse patrinus licitè, neque licitè baptizare filium suum extra casum necessitatis; aliter contraheret cognationem cum consore; neque licitè potest esse Patrinus Abbas, Monachus,

chus, vel cuiusvis alterius Ordinis Regularis, sicuti neque Apostata, aut qui sit moribus infamis; patrinus enim, si ab aliis non fiat, tenetur instruere de rebus Fidei baptizatum, quod non facile præstare possent Religiosi, cum non sint sui juris, neque Apostatæ, Hæretici, aut illis similes, cum ex his potius timenda esset perverio, quam instructio. Teneretur etiam Parochus suscipientium (qui Christiani sui compotes esse debent) & baptizati nomina in Libro notare, ut vitentur incommoda, quæ oriri possent ex omissione, & adimpleat legem præscriptam à Tridentino cap. 2. citato. Reliqua, quæ hic adduci possent, satis constant ex dictis de Sacramentis in genere.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

64. **O**bjicies 1. Contra primam assert. ex hæreticis: non est efficacior Baptismus, quo baptizantur cæteri post Christum Dominum, quam quo ipse Dominus in Jordane baptizatus fuit à Joan. Baptista Matth. 3. sed Baptismus, quo Christus baptizatus fuit, non erat collativus gratiæ, neque remissivus peccati, ut protestatur ipse Baptista; ergo neque Baptismus, quo baptizantur cæteri. Probatur maj. ut ait Apostolus 1. ad Coloc. c. 1. de Christo: *ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens*: atqui non teneret primatum in omnibus, si Baptismus, quo baptizantur reliqui, esset efficacior Baptismo, quo baptizatus fuit Christus; ergo &c. Confirm. ablutiones Baptismi novæ legis correspondent ablutionibus ceremonialibus legis antiquæ, quæ ab Apostolo cap. 9. ad Hebr. v. 10. vocantur Baptismata; sed illæ ablutiones non erant causativæ gratiæ, neque remissivæ peccati; ergo neque ablutiones Baptismi novæ legis. Quam debilia sint ista hæreticorum deliramenta, statim videbimus.

65. **R**esp. N. maj. ad prob. con. maj. N. min. cujus falsitas evidenter ostenditur ex ipso testimonio ab Adversariis adducto: ex eo enim, quod Christus primatum teneat in omnibus, primatum teneret in Baptismo ab ipso instituto respectu Baptismi instituti à Joanne, ac proinde Baptismus Christi efficacior arguitur Baptismo Joannis. Deinde respectu nostri, qui Baptismus Christi recipimus, Christus ipse tenet etiam primatum, cum nobilior sit respectu Christi institutum, & ex suis meritis, & dignitate adeo magnam efficaciam conferre Baptismo, quam ex parte nostri illum suscipere ex meritis, & efficacia Christi, ut ex ipsis terminis notum est.

66. Hoc grande discrimen, in quo primatus Christi tantum elucet, si excæcati non essent Adversarii, facile videre poterant in ipso tex-

tu, quem citant, cum in eo Baptista ipse ita loquatur: *Ego quidem baptizo vos in aqua in penitentiam, qui autem post me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calcæamemta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu S.* hinc ad Confirm. dist. maj. correspondebant sicut umbra, & figura, con. sicut æqualia, nego maj. & con. min. nego conseq. nam ut ait Apostolus 1. Corinth. 10. à v. 1. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt.* Et postea subjungit vers. 11. *hec autem omnia in figura contingebant illis.* Umbra autem, & figura non sunt æquales rei significatæ: sic figura hominis non est tantæ perfectionis, ac homo.

Objicies 2. Ex aliis, non est definitio recta, quæ exprimit conceptum rei secundarium, & omittit primarium; sed sic se habet definitio; ergo &c. Probatur min. infusio gratiæ est conceptus primarius, & remissio peccati est secundarius; sed in nostra definitione exprimitur conceptus remissionis peccati, & omittitur conceptus infusionis gratiæ; ergo &c. Confirm. conceptus rei primarius est ille, qui rem distinguit ab omni non ipsa; sed ipse conceptus non distinguit Baptismum ab omni non ipso; ergo &c. Probatur min. si daretur Sacramentum à Christo institutum collativum eorundem effectuum, quos confert Baptismus, quod non constitueretur ex ablutione, & verbali forma, sed ex alia materia, & forma, tale Sacramentum non esset Baptismus; atqui iste conceptus à nobis assignatus non distinguit Baptismum ab illo Sacramento; ergo non distinguit Baptismum ab omni non ipso.

Resp. con. maj. & nego min. ad Prob. permitto maj. & nego min. quia in nostra definitione jam exprimitur, Baptismum esse Sacramentum, ac proinde esse collativum gratiæ, cum virtus collativæ gratiæ sit de ratione essentiali, & metaphysicè constitutiva Sacramenti, ut constat à num. 4. & 14. de Sacram. dixi permitto maj. quia aliud est remissio, & aliud virtus remissiva peccati: licet enim remissio, peccati sit effectus secundarius Sacramenti, imò licet non sit tam nobilis, quam infusio gratiæ in peccatore, at tamen in Sacramento Baptismi non est minus nobilis virtus remissiva peccati, quam collativa gratiæ, cum sit realiter eadem virtus: sic sensatio non est tam nobilis, quam discursus, & tamen in homine tam nobilis est virtus productiva sensationis, quam productiva discursus, cum sit realiter eadem, imò quia utraque formalitas constituit conceptum specificum metaphysicum hominis, per utramque constituitur homo. Pariter in nostro casu dicendum est de metaphysico constitutivo Sacramenti Baptismi.

Ad Confirm. dist. maj. non esset Baptismus, sumpto Baptismo in sensu materiali, con. 11. in sensu Theologico, nego maj. & conc. min. hegg

nego consequentiam. Quia ut constat ex dictis num. 40. non esset vera definitio, si essentiam illius Sacramenti metaphysicam non comprehenderet, sicut enim Petrus & Paulus non distinguuntur in ratione hominis, sed in ratione individui, ideoque definitio hominis utrique deber convenire, ita illa Sacramenta non distinguerentur in esse Baptismi Theologicè sumpti, sed in esse individui, ac proinde ratio Baptismi Theologicè sumpti utrique deber convenire. De distinctione materiali agimus jam in alia assert: cum Theologis, quando materiam, & formam de facto inlicitas investigamus.

70. Objicies 3. Contrà secundam assert. ex hæreticis. Matth. 3. dicitur de Christo: ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne; ergo ignis potius, quàm aqua dicendus est materia hujus Sacramenti. Confirmatur 1. ex Dionys. cap. 2. Ecclesiasticæ Hierar. & Damasc. lib. 4. de fide cap. 10. dicente: *Baptismus est illuminatio*; atqui illuminatio non est propria aquæ, sed ignis; ergo &c. Confirm. 2. in pluribus Scripturæ Testimoniis accipitur aqua metaphoricè pro gratia, ut constat ex num. 2. & ex Christi verbis Joan. 4. dicentis: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, ubi ter repetitur significatio ista metaphorica aquæ: Sed nulla est ratio, ne in præsentem intelligatur aqua metaphoricè, sicut intelligitur metaphoricè ignis, quando dicitur Christus baptizaturus igne; ergo &c. Confirm. 3. aqua fluens de latere Christi in Cruce, repræsentavit materiam Baptismi; sed illa non erat elementaris, cum in corpore mixto, quale erat corpus Christi, non dentur elementa in actu; ergo materia Baptismi non debet esse aqua propria, & elementaris.

71. Resp. N. consequ. quia quando testimonia Scripturæ habent sensum quasi quo ad speciem oppositos, cum unus sumitur propriè, alterum metaphoricè sumi, necesse est; tunc autem Ecclesiæ munus est, definire textum qui sumitur propriè, ut exinde intelligamus alterum sumi metaphoricè: in nostro autem casu aquam intelligi in sensu proprio, & non metaphoricè, definitum habemus à Concil. citatis num. 45. unde ignis intelligitur metaphoricè; quod etiam clarè constat ex regula interpretandi Scripturam, nam quando ex ipso contextu clarè constat, unum sensum esse proprium, non nisi stolidè dubitari potest, alterum esse metaphoricum. In nostro autem casu ex ipsa Scripturæ historia manifestè constat, aquam intelligi in sensu proprio, ut patet ex eo num. 45. ac proinde non nisi stolidè dubitari potest, ignem accipiendum metaphoricè pro ardore charitatis, quam excitat Spiritus Sanctus, datus in Baptismo per gratiam, casu, quo ille textus, ut probabiliter potest, intelligatur de Baptismo; literaliter autem intelligi potest de

apparitione Spiritus Sancti super Discipulos in linguis igneis, ut explicat Catechismus Tridentinus ex illis Christi verbis Actorum 1. *vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto non post multos dies*; unde intelliges, quàm stultè Hæretici Jacobitæ ex prava illius textus intelligentia candenti ferro Crucis characteris formato fontem baptizatorum inurant.

Hinc ad primam confirmationem nego consequentiam; quia Baptismus non est illuminatio materialis, sed causa illuminationis habitualis, sumptæ pro splendore gratiæ, quæ splendet baptizatus. Ad secundam confirmationem conc. maj. & nego min. ut constat ex Scriptura, & Conciliis adductis, & ex ipsa regula interpretandi Scripturam ex dictis num. superioribus. Ad tertiam confirmationem conc. maj. & nego min. quia, ut Interpretes docent, et Christi latere miraculosè fluxit aqua pura, & propriè talis, idque expressè significant verba Evangelistæ; imò Innocentius III. Cap. in quadam de celebrat. Missarum, damnat errorem Hæreticorum dicentium, non fuisse veram aquam, sed humorem phlegmaticum, quoniam cum sanguine effluxit è latere Domini, nec et fuit solùm figura, sed ostensio materiæ Baptismi. En Pontificis verba: *sicut fuit verus Spiritus, & verus sanguis, ita procul dubio veræ aquæ; & rationem subjungit: nam si non fuisset, sed phlegma, quod de latere Salvatoris exiit, ille, qui vidit, & testimonium veritatis perhibuit, profectò non aquam, sed phlegma diceret, nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum, cum per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua.*

Objicies 4. Non conficitur valdè Baptismus, si non fiat trina ablutio: ergo assertio nostra absolute prolata, & illationes ex illa factæ sunt. Probat ut antec. ex Pelagio Papa in Epistola ad Gaudentinum, quæ refertur Cap. *multis sunt de consecra. dist. 4. per hæc verba: multis sunt, qui in nomine solummodo Christi una etiam mentione se afferunt baptizare; Evangelicorum præceptum ipso DEO, & Domino Salvatore nostro IESU Christo tradente nos admittet, in nomine Trinitatis trina etiam mentione Sacramenti Baptisma unicuique tribuere, dicente Dominus Discipulis suis: ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii &c.; ergo &c.* Confirmatur ex Can. 49. Apostolorum, qui ita habet: *si quis Episcopus, aut Presbyter non trinum immersionem unius Mysteriorum celebrat, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, damnetur; etenim non dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* ergo &c.

Responderi potest 1. textum Pelagii Papæ quem citant Adversarii, non esse authenticum, etenim nulla alia Epistola Pelagii ad Gaudentinum reperitur, nisi quam misit Pelagius I. ad Episcopos Tusciæ sub hac Rubrica: *Dilectissimi Fratres*

Fratribus Gaudenzio, Maximiliano, Gelogio, Justo, Terentio, Vitali, & Laurentio per Tusianam annonaliam Pelagius; hæc autem sexta est Pelagii hujus Epistola, ut videri potest Tom. 5. Concil. quæ Typis recenter data sunt opera Philippi Laurei, & Gabrielis Gossacii Societatis JESU Tom. 16. in hac verò Epistola Episcopos istos ob schisma reprehendit; ex textu verò quem Adversarii citant, nec verbum habetur. Unde dubitare non possumus, hujusmodi testimonium esse saltem valde dubium, eo tamen pro nunc permisso,

75. Respondeo cum Divo Thoma quæst. 66 art. 8. & Eximio Doctore disput. 20. de Baptismo sect. 3. negando antec. Ad probationem conc. antec. & nego consequ. quia in eo textu solum concluditur, ex præcepto Christi ferendum Baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quin dicatur ex præcepto Christi conferendum trinam mersionem: solum enim dicitur ex illo præcepto admoneri Ecclesiam, ut conferat trinam mersionem ad representandum Mysterium, quo explicatur, illud fuisse motivum, ratione cujus Ecclesia imposuit olim præceptum, ut conferretur Baptismus trinam mersione; eaque de causa utrumque conjunxit Pontifex in eo textu; illud autem præceptum jam non obligat, ubi ex consuetudine legitime est abrogatum; imò fuisse merum Ecclesiasticum, constat ex Gregorio I. & Concilio IV. Toletano citatis num. 60.

76. Ad confirmationem nego consequentiam; quia ille Canon, ut ait Eximius Doctor, formatus fuit contra aliquos, qui non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in nomine Christi mortui pro nobis, & ad explicandam eam mortem utebantur solum una mersione; unde & conficiebant invalidè, & simul transgrediebantur præceptum, antequàm de trina mersione, quasi non obligaret, & fundaretur in falso motivo de necessitate expressionis Trinitatis, ad quod significandum erat ab Ecclesia imposuit. Hunc errorem damnarunt Apostoli in eo Canone, ex quo malè inferitur, trinam mersionem necessariam esse ad valorem. Ex hac doctrina explicanda sunt aliquorum Patrum testimonia illius temporis antiqua, consuetudine innixa, ita, ut intelligantur quoad præceptum, non verò quoad valorem. Quapropter Catechismus Tridentini Tit. de Baptismo hæc habet: utrum verò unica, an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum est; utrovis enim modo & antea in Ecclesia Baptismus: verè confectum esse, & nunc confici posse, ex Divi Gregorii Magni Epistola ad Leandrum scripta satis apparet; retinendus est tamen à Fidelibus is ritus, quem unusquisque in sua Ecclesia servari animadvertit.

77. Objicies 5. contra tertiam assertionem: non solum fuit à Christo instituta forma Baptismi à nobis præscripta, sed etiam forma baptizandi in nomine Christi, ut constat ex Actor. cap. 2. & 8. & ex Nicolao I. ergo &c. Confirmatur R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

1. Si necessitas exigit, potest Minister plures simul baptizare per asperisionem, vel per infusionem aque dicendo: *ego vos baptizo*, ut habet Divus Thomas quæst. 66. artic. 5. ergo forma baptismi à nobis assignata non est necessaria. Confirmatur 2. In casu necessitatis potest aliquis se ipsum baptizare, vel si tunc darentur manus, & murus, posset murus aquam infundere, & manus verba proferre, dicendo: *ego tibi ministro Sacramentum Baptismi*; sed in istis casibus non apponeretur forma à nobis assignata; ergo non est semper necessaria. Respondeo, nego antec. ut constat ex dictis à num. 74. de Sacramentis; imò verba Nicolai I. quæ habentur in ipsius Rescripto Tom. 3. antiquorum Conciliorum Tit. 16. approbantia Baptismum ita habet: vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur; cum autem ille Baptismus, de quo legitur in Actibus Apostolorum, ut ex ibi dictis constat, conferretur in nomine Trinitatis, non opponuntur assertioni nostræ ea verba Pontificis.

Ad primam confirmationem conc. antec. & nego consequentiam; quia illa forma respectu multorum eundem sensum habet, ac forma à nobis assignata prolata respectu uniuscujusque; cum *vos* in illo casu nihil aliud significet, quam *te*, & *te*; unde comprehenditur in nostra assertionem, cum perfectissimè æquivalet formæ à nobis assignatæ. Ad secundam confirmationem nego antec. quia si aliquis se ipsum baptizaret, verba non haberent istum sensum *ego te*, sed, *ego me*; tum etiam, si duo ita baptizarent, non haberent illum sensum: *ego & ego*, sed *ego & tu*, qui in existimatione morali valde diversus est, & verba Divi Thomæ artic. 5. ad 4. quæ clariora esse non possunt; sed tunc oportebit dicere, *ego baptizo vos*, nec erit mutatio formæ; quia *vos* nihil aliud est, quam *te*, & *te*: quod autem dicitur *nos*, non est idem dicere, quod *ego*, & *ego*, sed *ego*, & *tu*, & sic jam mutaretur forma. Similiter autem mutaretur, si diceretur: *ego baptizo me*; & ideo nullus potest baptizare se ipsum.

Si autem plures eundem baptizarent, ita, ut unusquisque cum sufficienti intentione conficiendi Sacramentum, & ablueret, & verba proferret, & unusquisque illorum in eodem instanti perficeret omnia necessaria ad Baptismum, unusquisque baptizaret, sicque darentur duæ causæ morales ejusdem effectus, in quo nulla est implicancia, neque ea esset reiteratio Baptismi, cum nullus ex illis Baptismis præsupponeret hominem Christianum. Hoc autem, si non assignetur casus urgentissimæ necessitatis, v. g. si baptizantes infantem in gravi periculo constitutum, essent cæci, & surdi, ac proinde alteruterque inscius omnino conbaptizantis baptizaret; illicitè facerent, cum absque ulla obligatione faciendi, quæ excusaret ab irreverentia, se exponeret periculo frustrandi Sacramentum: siquidem moraliter est impossibile, quod unusquisque illorum in eodem instanti perficiat requisita

ad Baptismum. Quando autem unus prius perficeret, ille solus baptizaret, secus alter, cum supponeretur jam infans baptizatus, ut hæc omnia latè illustrat Exim. Doctor disp. 23. sect. 3. & satis constat ex dictis de Sacramentis in genere; neque possunt plures per modum unius eundem baptizare dicendo: *nos te baptizamus*: nam illa verba *euntes baptizate*, prolata fuerunt in sensu distributivo, ut constat Conciliiis citatis num. 51.

80. Aliter autem discurrendum est, quando circa aliquod Sacramentum datur obligatio faciendi, ut circa Baptismum diximus num. 30. & circa alia num. 334. de Sacram. quod ulterius roboratur ex praxi Ecclesiæ, ex qua Presbyteri, cum ordinantur, consecrant omnes simul cum Episcopo eandem materiam, & habent intentionem saltem conditionatam consecrandi, nimirum si alter prius verba non absolverit, & tamen moraliter est impossibile, quòd in eodem instanti omnes simul absolvant verba substantialia, licèt debeant, quantum possint, curare, ut omnes simul absolvant, ideòque unusquisque habet spem consiendi Sacramentum, simulque ex ea consuetudine, & præscripto Ecclesiæ habent titulum, ut absque ite reverentia faciant. Cæterum licèt aliquis profferret verba inculpabiliter, quando jam alter absolverat, non exinde frustrarentur varii Ecclesiæ fines, ob quos institutus fuit iste ritus, nimirum ad significandam æqualitatem potestatis cum Episcopo, quam ex ordinatione sua habent Sacerdotes ad consecrandum; tum ad repræsentandam cenam Domini, & alia mysteria, quæ licèt nos lateant, non latuerunt Apostolos, à quibus ut latè, & eruditè probat Cardin. Bona lib. 1. rerum Lyturgi. cap. 18. descendit hæc consuetudo.

81. Objicies 6. Baptismus non est efficacior post Passionem, & Resurrectionem Christi, quam ante ipsam; sed ante ipsam non remittebant omnem pœnam, quandoquidem qui

tunc moreretur, non transmitteretur statim in Regnum Cœlorum, sed detineretur in limbo; ergo neque modo remittit omnem pœnam Confirm. post Baptismum manet fomes peccati concupiscentia, fames, sitis, ac demum mors, quæ sunt pœnæ peccati originalis. Rursum justè puniatur post Baptismum, qui prius fuit latro aut homicida, quæ sunt pœnæ peccati personalis; ergo neque peccatum originale, neque peccata personalia remittuntur integre quo ad pœnam in Baptismo.

Resp. Con. maj. & dist. min. non remittitur eam pœnam pro eo tempore, pro quo institutum est à Christo ad eam remittendam, non pro quo non est institutum con. min. & N. consequentiam; quia Baptismus non fuit institutus à Christo, ut per illum transmitteretur aliquis ad gloriam ante gloriosam Christi Resurrectionem, sed postea gloriosa Christi Resurrectione, si nullum aliunde superveniret impedimentum de novo; exinde autem nihil probatur contra nos, sed ad summum fit, Baptismus caulare illam remissionem, quando jam non existit, ac proinde illam non caularet physicè, sed moraliter, quod non est impugnatum sed roborare sententiam nostram traditam à n. 166. & 119. de Sactam. Ad Confirm. con. attec. & nego conseq. quia istiusmodi penalitates, non sunt pœnæ, de quibus loquimur, ut constat ex dictis à num. 43. imò neque Baptismus remittit pœnam omnem venialium, ut bene notavit Carleton, si quando exerceat suam causalitatem remissivam peccatorum, non inveniat dispositionem requisitam ad remittenda venialia, cum semel exercita ea causalitate remissiva non reviviscat ad aliam causalitatem ex dictis num. 31. sicut non reviviscat ad causandam majorem gratiam, quando postea datur major dispositio, si jam semel exercuerat causandam salitatem.

* * *

